





27

1735, 24

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**Streit, J.U.D.**

EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. si quis. ult. cod. de pac. inter emt. & vend.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*AD DIEM XIV. OCTOBR. MDCCXXXV.*  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

*ERFORDIAE,*  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

*bomp*





Olo quidem consensu perficitur  
contractus emtionis & venditionis,  
quandoque tamen ex consen-  
su alia accedunt, vel formam dant  
huic contractui. Perez. ad cod. de  
paet. inter emptor. & vend. aded, ut  
non tantum ad ea, quæ naturali-  
ter insunt, detur actio emti & venditi, sed etiam ad  
ea, quæ inter partes conveneunt, paetis appositis in  
continenti; pactum enim ex intervallo actionem mini-  
mè informat, & hoc quatenus pacta non tangunt subst-  
tantiam contractus, quæ non admittunt privatam pa-  
ctionem, per quam contingere vitiari substantiam, ut  
si in ipsa venditione convenierit de danda specie pro  
specie, transiret enim contractus in permutationem  
Zoës. ad dict. tit. de paet. inter empt. & vend. Quo casu  
pactum non valet, sed habetur pro non adjecto; aded.  
que vitiatur, aut vitiat. Nam actus contra prohibi-  
tionem legis gestus est ipso jure nullus. L.5. cod. de LL.  
quod

quod autem ipso jure nullum est, non potest aliud negotium in se validum reddere; eoque casu pactum contractui non inest, nec illum informat, sed potius transformat. Exempli gratiâ *pone*, Titium rem aliquam Cajo commodasse, ac in continenti placuisse, ut pro ejus usu mercedem solveret. Hoc pactum, quia commodato planè repugnat, ut quod indispensabiliter exigit esse gratuitum, §. 2. *inst. quib. mod. re contrah. oblig.* non inest commodato, sed id transformat in aliud planè negotium, ac efficit, ut resultet vel locatio conductio, vel contractus innominatus. Si vero pactum sit præter essentiam contractū, tunc eum quidem non transformat, sed tamen alterat; & irregularē reddit. *Pone*, Titium pecunias custodiæ gratiâ apud Cajum depositisse, ac in continenti placuisse, ut posset iis uti, si forte futuro tempore illatum usu indigeret. Hoc pactum quidem non deformat depositum, cum non faciat, quo minus pecuniae custodiæ gratiâ principaliter sint traditæ: quia tamen depositarius secundum contractū hujus, in puritate suâ spectati, rigorem non solet rei depositæ usum habere; eapropter pactum tale alterat saltem contractum, ac efficit, ut notissimos depositi terminos egreditur. L. 24. L. 26. §. 1. *ff. depos.* quod vero concernit adminicula contractuum, adjiciuntur quandoque eo fine, ut major, quam ex lege est, obligatio reddatur, aliquando ut minor; & ut determinentur illa, quee concernunt substantiam negotii, vel ut essentiæ aliquid addatur, aut dematur. Quo casu pactum contractui inest, ac ejus partem constituit, ita ut inde descendens actio formetur, ac ipso jure vel

pinguior, vel minus pinguis reddatur. Ex intervallo  
si adjiciatur pactum, quod concernit substantiam, in-  
terest, sine res adhuc integra, forte, quod neutra pars  
conventionem adhuc impleverit, duo casus sunt distin-  
guendi. Vel enim pacto tota contractus substantia  
sublata, & postea alio pacto iterum repetita. Vel pa-  
ctum unicum, eo fine fuit interpositum, ut substantiae  
adderetur aliquid. Pacto prioris generis contractus  
novus inducitur. L. 27. §. 2. vers. idem dicimus ff. de paet.  
inde infertur, rem facile redire p. Te ad suam pristinam  
naturam, & favorablem esse illam interpretationem,  
per quam ad naturam primævam redditur. Brunnem. ad  
d. §. 2. Posteriore casu, quo scilicet unum duntaxat pa-  
ctum interpositum, & quidem non eo fine, ut totus  
contractus tolleretur, sed tantum, ut ejus substantiae  
quid adderetur aut demeretur, censetur prior contra-  
ctus reformari, aut quasi renovari. L. 7. §. 6. vers. quod  
cum est. ff. de paet. Et L. 27. §. 2. vers. quod si non ff. eod.  
Sic exempli gratia, si initio dictum sit, ut res sit vendi-  
ta pro quindecim, & negotio nondum perfecto placuer-  
it, ut sit vendita pro decem; hoc pacto contractus  
non reformatur, sed retinetur: perinde enim est, at-  
que si initio statim decem fuissent in venditionem  
deducta. Contra si initio dictum sit, ut res sit ven-  
dita pro quindecim, & negotio jam perfecto, placuerit,  
ut sit vendita pro decem; hoc pacto negotium refor-  
matur, & contractus alius inducitur, à priori non spe-  
cie quidem, numero tamen diversus: quia aucto pre-  
cio vel minuto, mutatur pars substantiae, adedque  
non manet idem numero contractus. Quamvis au-  
tem

tem videri posset, rationem juris non ferre, ut ex parte  
recedatur à contractu; si enim minima particula ad-  
datur substantiæ, aut detrahatur, non manet eadem sub-  
stantia, ergò necessariò consurgit novus planè contra-  
ctus. Pomponius sanè in L. 2. ff. de rescind. vend. per-  
spicuè pronunciat, non posse rem emtam eandem  
rursum pluris minorisvè emi, quin venditio nova ita  
consurgat, quasi nulla præcesserit. Paulus etiam in  
L. 72. ff. de contrah. emt. ait, pretio aucto vel minuto, à  
priore contractu recessum, & venditionem novam in-  
terpositam videri. Attamen, si contractus spectetur  
materialiter, potest ab illo ex parte recedi: qui enim rem  
pro decem venditam, pluris vendit minorisvè, non re-  
cedit in totum à materia prioris contractus, sed ex  
parte saltem d. L. 7. §. 6. & L. 72. §. 2. ff. de paßl. Si ve-  
rò consideretur formaliter, non potest ab illo ex par-  
te recedi, nam si vel minima particula addatur sub-  
stantiæ, vel detrahatur, non manet eadem numero sub-  
stantia, adeoque pactum, quo mutatio hæc inducitur,  
necessariò proficit ad novum contractum d. L. 72. de  
contrah. emt. & L. 2. ff. de rescind. vendit. Unde porro  
consequitur, fidejussiones, pignora, aliasve similes ac-  
cessiones priori contractui adscriptas intercidere, si non  
in posteriori pacto repeatantur: cum enim per factam  
in essentiâ mutationem prioris contractus substantia sic  
resoluta, non possunt non per consequens & ea recen-  
seri resoluta, quæ priori contractui velut fundamento  
suo erant innixa. Quod procedit, si re integra pactum  
contractui sit adjectum. Quod si res amplius non sit  
integra, forte, quod pars rei tradita aut pars pretii solu-

ta fuerit, nudo pacto non resolvitur prior contractus,  
sed res tradita retrotradatur; ac ea, quæ gesta sunt, rur-  
sus in contrarium agantur, necesse est L. i. cod. *Quan.* li-  
cet ab empr. reced. Unde sponte suâ sequitur, in contra-  
etibus realibus nunquam posse nudâ conventione ab  
inito negotio recedi, cum enim ad substantialem per-  
fectionem suam interventum rei desiderent, atque  
adeò in iis conventionis impletio ipsi contractui indi-  
spensabiliter implicetur, necessariò sequitur, eos statim,  
atque conclusi sunt, integros esse desinere, ac per con-  
sequens resolubiles amplius non esse. Pacta etiam cir-  
ca adminicula & accidentia contractui adjiciuntur; quæ  
vel modum concernunt, vel formam. Emptioni &  
venditioni adjecta præcipua sunt tria, pactum *additio-*  
*nis in diem*: pactum *legis commissorie*: pactum *de retro-*  
*vendendo*, de quibus aliisque, & an valeat pactum: ne  
liceat emtori in loco emto monumentum exstruere,  
vel alio modo humano juri eximere? pluribus differet  
occasione L. si quis. ult. cod. de pæct. inter emt. & vend.  
quam pro lectione cursoriâ elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. JOANNES GOTTLIEB  
OSANNVS,

Natus *Osmanstadii*, in Ducatu Vinariensi, anno hujus  
seculi sexto, die 8. mensis Junii. Patrem habuit M. ER-  
NESTVM GOTTLIEB OSANNVM, Pastorem quon-  
dam Adjunctum *Osmanstadiensem*, & postea Pastorem Ec-  
clesie hujatis Minoritarum, qui anno MDCCXIII. in vi-  
vis

vis esse desit, Mater vero adhuc superstes est MARIA  
CHRISTINA, nata BERNHARDIN, quæ secundas  
nuptias iniit cum Dn. D. ERNESTO AVGVSTO AP-  
FELSTAEDT, civitatis hujus Consule ac Syndico. Prima  
parentum fuit cura, ut, quam primum per ætatem li-  
cebat, doctrinæ salutaris capita ac literarum elementa,  
in schola Minoritarum addisceret. Dein ephebus fa-  
etus Gymnasium Senatorium frequentavit, ibique in  
linguas ac literas humaniores eousque incubuit, donec  
Academiam nostram Hieranam salutare potuit. Du-  
ces vero fecutus est, in Philosophia Ridigeriana Dn.  
M. BÜCHNERVM, h. t. Pastorem Ecclesiæ Sebachiensis  
fidelissimum: in universa Jurisprudentia theoretica  
Magnificum Dn. D. SCHORCHIVM, illustris JCtorum  
ordinis Aſſefforem, civitatis hujus Consulem, ac Ministerii  
Evangelici Aſſefforem longe meritissimum: in Juris-  
prudentia denique practica Illustr. Dn. D. REIN-  
HARDTVM, h. t. Potentiss. ac Sereniss. Angliae Regis &  
Electoris Hanoverani Consiliarium Aulicum, & in Academia  
recens condita Göttingensi Facultatis Juridice Ordinarium  
& Professorem Publicum, nec non Dn. D. APFELSTAEDT,  
vitricum suum venerandum, quorum singularem indu-  
striam & fidem in docendo gratissima mente deprædi-  
cat. Tandem à Facultate Juridica ad consuetum Examen  
rigorosum Doctorandorum admitti decenter petiit,  
admissus & examinibus submissus, textus ex utroque  
jure assignatos accuratè resolvit, & ad quæſtiones pro-  
positas ita respondit, seque tam firmum ac fundatum  
in arte juris ostendit, ut unanimi consensu eidem, ad  
honorum academicorum gradus ritè capessendos, pu-  
blica

blica cathedra aperta fuerit, in quâ, proximâ die Veneris, quæ erit 14. Octobris, lectionem cursoriam, eâque finitâ, Disputationem inaugurelam

DE

PACTO RESERVATI DOMINII IN VENDITIO-  
NE VSQVE AD PRETII RESIDVI SOLVTO-  
NEM, EJVSQVE EFFECTIBVS INSIGNIORI-  
BVS IN CONCVRSV POTISSIMVM  
CREDITORVM

habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Domini-  
nus Rector, cæterique Domini Proceres & Cives  
Academici, eâ quâ par est observantia, invitantur.  
Publicatum sub Sigillo Facultat. Jurid. IX. Octobris  
M DCC XXXV.



Erofest, Diss., 1935

ULB Halle  
005 367 840

3





1735, 24  
27

# FACULTATIS JURIDICÆ DECANUS, JO. PHILIPPUS Streit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM  
*ad L. si quis. ult. cod. de pact. inter emt. & vend.*

ET

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
*AD DIEM XIV. OCTOBR. MDCC XXXV.*  
LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

